

II.

Descriptio novi Plantarum generis,

SPRENGELIA, dicti.

Ex tam multis generibus, imo ordinibus naturalibus novis vegetabilium, nuper ex Nova Wallia Meridionali (New Southwales) allatis, elegantia formae ac specierum numero non facile superatur illa tribus, ad quam pertinet *Epacris* Linn. Suppl. pl. 19. et 138. Primus *Forster* genus hoc constituit; sed hic, et *Linnaeus fil.* duo genera bene distincta sub illo confuderunt, nempe

EPACRIN. *Gaertner* Sem. V. II. 77. t. 94. f. 1.

Capsula 5 locularis, 5-valvis, dissepimentis e medio valvularum. *Semina*, acerosa, plurima.

et ARDISIAM Ibid. t. 94. f. 2.

Drupa 5-locularis. *Semina* bina.

At cum *Swartz* in *Prodromo* suo, et *Aiton* in *Horto Kewensi* hoc nomen alii generi ante *Gaertnerum* imposuerint, sententia mea *Ardisia Gaertneri*, cujus plures species mihi innotuere, STYPHELIA dicenda erit, quod nomen ab inventore *Solandro* illi datum fuit *).

Materia autem laboris et examinis nostri erit genus ejusdem ordinis naturalis, distinctum tamen ab iis. Nomen feci SPRENGELIA, a *Christiano* *Conrado Sprengelio*, Rectore *Spandoviensi*, qui summum hunc honorem botanicorum optimo jure meruit, opere suo sagacissimo de insectis fructificationem plantarum promoventibus; aptiusque mihi visum fuit hoc genus nomini illius viri, ob singularem structuram organorum fructificationis, antheris connatis enim distinctissimum est a reliquis ordinis sui.

SPREN-

*) Hoc sub nomine quoque insignitum est in 4to Fascic. *New Holland Bor.* t. 14.

SPRENGELIA

PENTANDRIA *Monogynia*.

Character essentialis.

Calyx quinquepartitus, persistens. *Petala* quinque. *Stamina* receptaculo inserta. *Antherae* connatae. *Capsula* quinquelocularis, quinquevalvis; dissepimentis e medio valvularum.

Character naturalis.

Calyx, ad basin quinquepartitus, ut pentaphyllus videatur, scariosus, (*chaffy*) coloratus, persistens; *segmentis* aequalibus lanceolatis, acutis, concavis, post florescentiam erectis, conniventibus.

Petala quinque, longitudine calycis, lanceolata, acuta, ad basin parumper cohaerentia, patentia, corollae rotatae formam assumunt, post florescentiam erecta, conniventia, caduca. *Nectarium* nullum vidi.

Stamina quinque, longitudine petalorum. *Filamenta* receptaculo inserta, distincta, linearia, glabra, plana, (*flat?*) aequalia. *Antherae* verticales, in tubum coalitae, externe pilis flavis clavatis numerosissimis barbata.

Pistillum. *Germen* superum, globoso-depressum, glabrum, sulcis quinque exaratum; *stylus* simplex, apicibus antherarum subaequalis, stigma simplex obtusum.

Capsula sub-cylindrica, obtusa, 5-fulcata, superne in quinque valvas disiliens: *dissepimenta* longitudinalia, e medio valvularum: *columnella* valvulis brevior, subaspera. *Semina* numerosa, globosa, minuta.

Secundum systema Linneanum hoc genus ad *Syngenesiam monogamiam* pertinet. Ego vero cum illis sto, qui hunc ordinem antiquandum censent, omnes tamen hujus systematis innovationes permutationesque novissimas minime probans, atque ideo *Sprengeliam* in *Pentandriam Monogyniam*, prope *Azaleam*, cum *Styphelia* et *Epacri* collocandam existimo. A posteriori differt petalis 5., antheris connatis, et staminibus receptaculo insertis; hisce notis omnibus et fructu differt etiam a *Styphelia*? Unica species hucusque nobis innotuit.

SPRENGELIA incarnata. Act. Holm. 1794. p. 267. t. 8.

Frtex, bipedalis, terrosior, rigidus, laevis, multiflorus. *Lignum* durum album. *Ramuli* teretes subflexuosi. *Cortex* fuscus aetate rimosus.

Folia alterna, subinde trifariam imbricata, amplexicaulia, latefcentia, lanceolata, acuta, integerrima, concava, subglauca, avenia, rigida et patentia, emarcescenda, hyeme persistentia, tandem basi recedentia, facile omnimode contorta permanent. *Stipulae* nullae.

Flores

Flores terminales, pedunculati, racemosi, pallide rosei. Pedicelli bracteati, bracteis imbricatis figura foliorum, sed minoribus, margine membranaceis ciliatisque, sub quovis flore congesti.

Calyx roseus, rarissime extus pubescens.

Corolla carnea.

Folia sicca *aliquid adstringentis* habent, sed nulla notitia de usu ac plantae proprietatibus ad me pervenit. Tribus, ad quam pertinet, in ordinibus Naturae Novae Hollandiae eundem locum obtinere videtur, quem Ericae in Capite bonae spei: conveniunt quoque habitu et specie, characteribus botanicis alienissimae. Nec notitia nobis hujus plantae adeo absoluta est, ut dijudicare possimus, rectene Jusseus genus *Epacris* ad ordinem naturalem Ericarum retulerit? an ex his generibus novus ordo constituendus sit?

Iconi decolori, ex specimine sicco factae atque in Actis Stokholmiensibus publicatae, substitui aliam, a Dr. Sowerby depictam, ex planta viva, Aprili 1795. in Horto exquisitissimo Georgii Herberti, Armig. S. L. S. Claphami florente. Repetita vice abhinc flores penes Dr. Lee et Kennedy, Hammer-smithi examinavi.

Tab. II. f. 1. sifit ramplum *SPRENGELIAE incarnatae*, naturali magnitudine.

- f. 2. *Flos* superne.
3. — inferne.
4. *Petala* naturali statu, basi cohaerentia.
5. Fructificationis organa, seu partes.
6. Eadem aucta.
7. *Germen et stylus*.
8. Idem aucti.

Descriptio novi Plantarum generis, WESTRINGIAE.

Didynamiae Gymnospermiae Linnaei ordinem quam maxime naturalem constituunt, nec ullam plantam continentem in quovis systemate non cum reliquis collocandam. Unicum desiderium restat, nempe genera quaedam, duobus tantum staminibus praedita, ad hunc ordinem natura sua pertinentia, secundum systema artificiale Linnaei ab iis separari, et *Diandriae* inferi debuisse. Inde nata est una ex illis vulgaribus objectionibus erga hoc systema, toties et quotidie recantata, quod aliquis, qui ad quatuor usque numerare potest, ad eam arguendam valet. Iis sufficiat respondisse, Linnaeum in animo habuisse

systema aptum et facile, multo magis quam naturale; verum enimvero systema ejus quovis systemate aequae facili hucusque exstructo magis naturale esse. Nihil minus intendebat, quam avertere aut impedire ab investigatione Systematis Naturalis; e contrario, semper id summum desiderium ac finem Philosophiae Botanicae ducens ac dicens.

Sed et me, apologiam conscribentem summi Magistri, veniam rogare decet, in quibusdam quoque ab eo dissentientem. *Verbena*, forte commodius inter Didynamias reposita foret, major enim numerus specierum ejus quatuor staminibus gaudet, aequae ac *Cunila*, si amplius genus manet, inconcinnum, ex *Thymis* et *Saturejis* conflatum, duobus staminibus abortivis tantum, paucissimis ceterum characteribus convenientibus.

Planta, cujus descriptionem inoliior, ubi primum in Nova Hollandia reperta fuit, a Dr. Solandro *CUNILA fruticosa* denominata erat, quod characteri hujus generis, prout Linnaeus eum confecit, conveniebat. Nihilominus ab hac summa auctoritate dissentire ausim, quod planta nostra habita ab omni *Cunila* alienissima est, primoque intuitu plurimum similitudinis fert cum *Rosmarino*, a quo ceterum accuratiori examine multum distat. Haec dissimilitudo habitus me ad sedulum examen floris commovit, et spero fore, ut subsequens character plane demonstraret, eam novi generis esse.

WESTRINGIA.

DIDYNAMIA *Gymnospermia*.

Character essentialis.

Calyx semiquinquefidus, pentagonus. *Corolla* reflexa, limbo quadrifido, lobo longiori erecto, bipartito.

Stamina distantia: duo breviora (inferiora) abortiva.

Character naturalis.

Calyx monophyllus, persistens, tubuloso campanulatus, pentagonus, angulis prominentibus, absque striis seu sulcis, ad mediam partem divisus in segmenta quinque aequalia, erecta, lanceolata, glabra.

Corolla monopetala, ringens, calyce duplo longior, reflexa. *Tubus* longitudine calycis, ore piloso, *limbus* quadrilobus, *labio superiore*, longiore, erecto, ad medium bifido; *inferiore* in tria segmenta profunde secto, oblongo-linearia, divaricata.

Stamina

Stamina quatuor, medium limbum attingentia, divergentia, inferiora duo ceteris breviora, plerumque abortiva: *antherae* globosae, bilobae, incumbentes.

Pistillum: *germen* quadrilobum: *stylus* filiformis, longitudine staminum: *stigma* bifidum, minutum.

Semina quatuor, nuda, obovata.

Inter *Didynamas* Gymnospermas post *Teucrium* potius locum assignarem huic generi, quam inter *Diandras*, quoniam quatuor fert stamina, quorum duo breviora, et *antherae*, quamvis plerumque abortivae, adsunt tamen. Ad primam sectionem *Labiatarum* *Juss.* pertinet. Nomine inhonestatum est D. *Joh. Peter Westringii*, Authoris Dissertationis de Lichenibus, et eorum usu tinctorio, inserta actis Holmiensibus Anni 1794.

Unica species mihi visa nascitur in Nova Wallia Meridionali, prope Portum Jacksonis, et plurics in tepidariis Angliae floruit.

WESTRINGIA *rosmariniformis.*

Frutex ramosissimus; ramulis oppositis, quaternisve, quadratis, sericeis, foliosis.

Folia quaterna, petiolata, patentia, lineari-lanceolata, integerrima, revoluta, acutiuscula: nuda, laete virentia; nitidaque pagina superiori, inferiori albo-sericea. *Petiolis* brevissimi sericei. *Stipulae* nullae.

Flores in summis ramulis, axillares, solitarii, brevius pedunculati. *Bractee* geminae ad basin calycis, lineares breves, sericeae.

Calyx sericeus, segmentis nudis, marginibus revolutis.

Corollae albae, ore purpureo maculato.

Peculiarem qualitatem hujus fruticis non noscimus. Folia parumper amariuscula sunt, non aromatica, flores non inegantes, inodori.

Tab. II. repraesentat ramulum *Westringiae rosmariniformis*, magnitudine naturali.

Fig. 1. *Calyx* cum *bracteis*.

2. *Pistillum*.

3. *Stamina* longiora.

4. *Stamina* breviora.

Descriptio novi Plantarum generis,
BORONIAE.

Nova Hollandia ditissima novarum plantarum nobis plura nova genera prae-
buit ad naturalem ordinem *Rutacearum Jusq.* pertinentia, quae sese prae-
stantissima ornamenta tepideriorum nostrorum pollicentur. Pluribus partibus affi-
nes sunt *Diosmatis*; ut in his flores speciosi, folia exquisitè aromatica, quamvis
non semper grata. In quibusdam speciebus flores suavissimam fragrantiam spi-
rant. Inter eas autem nullum genus notatu dignius est illo, quod BORONIA deno-
minavimus, cujus character est sequens.

BORONIA.

OCTANDRIA *Monogynia*. Flores completi.

Character essentialis.

Calyx quadripartitus. *Petala* quatuor. *Antherae* infra apicem filamentorum
pedicellatae. *Stylus* ex apice germinis, brevissimus. *Stigma* capitatum.
Capsulae quatuor, coalitae. *Semina* arillata.

Character naturalis.

Calyx persistens, aequaliter quadripartitus.

Petala quatuor, aequalia, cum calyce alterna, istoque longiora, sessilia, per-
sistentia. *Nectarium* annulus glandulosus, basin germinis cingens.

Stamina octo, persistentia, corolla breviora, quatuor ceteris sublongiora; fila-
menta receptaculo inserta, complanata, decrefcentia, ciliata, varie termi-
nata: *antherae* biloculares, brevibus pedicellis incumbentes, infra apicem
lateri inferiori filamentorum insertis.

Pistillum. *Germe*n superum, nectario impositum, conicum, quadrifidum:
stylus rectus, brevis: *stigma* globosum, glabrum, quadrifidum.

Capsulae quatuor, initio coalitae, cito discedentes, compressae, uniloculares,
bivales, continentes arillam bivalvem, elasticam.

Semina, unum aut duo in quavis capsula, compressa, glabra, nitida.

BORONIA proxima est *Dictamnno* et *Diosmati*, sed folia in omnibus speciebus
opposita illam priori conjugere vetant, si retineas divisionem hodiernam Jus-
sieu. Melior distributio generum hujus ordinis forte detegetur, quando plura
eorum innotuerunt.

Quatuor tantum species hucusque inter plantas prope Portum Jacksonis a
D^o. White lectas repertae sunt: harum unica, BORONIA *pinnata*, in hortos nostros
hucusque introducta est.

1. *BORONIA pinnata*, foliis impari-pinnatis, integerrimis, pedunculis axillaribus dichotomis, filamentis apice obtusis, glandulosis.

Fruetex nitidas, bipedalis, ramosus, ramis virgatis, teretibus, foliosis.

Folia opposita, rarius ternata, exstipulata, 3-5 juga, foliolis sessilibus, lanceolatis, acutis, integerrimis, glabris, subcarnosis, cum impari ceteris simili, saepius minori; petioli connati, canaliculati, alati.

Flores elegantes, ex axillis foliorum superiorum nascuntur, racemis solitariis, corymbosis divaricatis; rosei, odore oxyacanthae.

Pedunculi angulosi, bracteis gemellis acutis stipati, oppositi.

Calyx parvus, rubicundus, laevis.

Petala calyce quadruplo longiora, patentia, exteriori pagina intentius colorata, laevissime acida.

Filamenta rubra, albis pilis ad verum apicem barbata, terminata globulo depresso glanduloso, subinde villosa, ad cujus basin insertus est pedicellus brevis, tenuis, glaber, cui incumbit anthera ovata, glabra, rimis longitudinalibus duabus latere inferiore sese aperiens.

Germen parvum, glabrum, quadrilobum: *stylus* brevis, villosus: *stigma* retusum, quadrifidum.

Capsulae glabrae.

Semina solitaria, nigra, theca seu atillò albo laevigato, bivalvi, elastico inclusa.

Species haec primum in Europa penes D. Lee ac Kennedy, vere 1795. floruit. Flores continuo profert, ut planta delicatula tepidarii culta.

Tab. III. A. repraesentat *Boroniam pinnatam*.

Fig. 1. *Calyx*.

2. *Petalum*.

3. *Stamen*.

4. idem auctum.

5. *Germen*.

6. idem auctum, *nectario* cinctum.

7. *Capsulae*.

8. *Arillus*.

9. *Semina*.

2. *BORONIA ferrulata*, foliis trapeziformibus acutis, antice inaequaliter serrulatis, pedunculis aggregatis terminalibus, filamentis apice cordatis, hispidis.

Fruetex elegans, ad quadrupedalem altitudinem ascendens. *Caulis* varie divisus, laevis, teres, epidermide decidua: *ramuli* juniores foliati, flores in summitate gerentes.

Folia

Folia exstipulata, opposita, subsessilia, subpatentia, subobliqua, trapeziformia, acuta, basin versus integerrima, ad apicem acute et inaequaliter serrulata, enervia et avenia, punctis resinosis adspersa, aromatica, odore terebinthinaeo; laete viridia, purpurascens.

Flores in capitellis seu fasciculis subcorymbosis congesti, pulchre rubri, rosam spirantes, auctore D^o. White, qui amoenissimum fruticem dicit. Paulo majores floribus B. pinnatae.

Bracteae oppositae, lanceolatae, concavae, acutae, saepe margine pubescentes.

Calyx rubens persistens: Segmenta ovata acuta, leviter carinata, nervosaque, margine pubescentia.

Petala calyce triplo longiora, patula, ovata, rosea cum lineis obscurioribus, acida.

Filamenta rubra, basi pilis albis barbata, superne nudiuscula, terminata globulo emarginato (in quatuor brevioribus minus conspicuo) denso, albo, patuloque villo vestito, *antheris* pedicellatis lateraliter affixis, forma praecedentis similis.

Germen minutum, quadrilobum: *stigma* subsessile, latum, conicum, retusum, glabrum, subquadrilobum.

Capsulae glabrae, punctis resinosis adspersae.

Semina duo in quavis capsula, nitida, nigra.

Tab. II. B. *BORONIA serrulata*.

- Fig. 1. Flos inferne.
 2. *Bracteae*.
 3. *Petalum*.
 4. *Stamina*.
 5. 6. Eadem aucta.
 7. *Pistillum*.
 8. Idem auctum.
 9. *Fructus* maturus.
 10. *Capsula* singularis.
 11. *Semen*.

3. *BORONIA parviflora*, foliis obovato-lanceolatis, obsolete crenatis, pedunculis aggregatis terminalibus unifloris, filamentis apice oblongis glandulosis.

Priori multo minor, ac minus formosus fruticulus. Rami teretes, glabri, inferne nudi, juniores foliosi, tribus quatuorve floribus terminati.

Folia opposita, subfessilia, exstipulata, obovata, subinde lanceolata, acuta, subcrenata, subcarnosa, glabra, avenia, resinosis punctis adpersa, parumper aromatica.

Flores parvi, pedunculis simplicibus, glabris, unifloris, angulosis, clavatis infidentes, subinde singuli quoque in axillis summorum foliorum.

Bracteae duo quatuorve, ad basin communem pedunculorum, ovatae, concavae, glabrae.

Calyx rubens seu purpurascens, laevis.

Petala calyce subdupla, obovata, acuta, alba, medio fascia rubra percursa.

Filamenta rubra, pilis albis barbata, terminata appendice subglanduloso, glabro, parvo, oblongo, obtuso, sub quo *antherae* insertae sunt.

Germen profunde quadrilobum, rubrum: *Stylus* abbreviatus, crassus; stigma minutum, rotundum, quadrifidum.

Tab. II. C. BORONIA *parviflora*.

Fig. 1. *Calyx*, et *Bractea*.

2. *Petala*.

3. *Stamina* aucta.

4. *Germen* auctum cum stylo.

5. *Capsulae* magnitudine naturali.

6. *Arillus*.

7. *Semina*.

4. BORONIA *polygalifolia*, foliis lineari-lanceolatis integerrimis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris, filamentis apice abbreviatis obtusis.

Radix perennis, lignosa multicaulis. *Caules* simplices, aut subramosi, glabri, subangulati, foliati, erecti, semipedales.

Folia opposita (rarius quaedam alterna aut terna reperiuntur) subfessilia, patula, pollicaria, acuta, glabra, punctata, subtus pallidiora cum nervo centrali. *Stipulae* nullae.

Flores axillares, solitarii, erecti, brevibus, clavatis, angulosisque pedunculis infidentes, medio *bracteas* duas minutas acutas ferentes.

Calyx parvus, viridis.

Petala calyce quintuplo longiora, rosea.

Filamenta alba, supra barbata, obtusa, parum insertionem *antherae* superantia.

Germen glabrum profunde quadrilobum: *stylus* illi longitudine subaequalis, glaber, apice ejus firmiter insertus, ita ut fructu disiliente in quatuor partes findatur: *stigma* obtusum, quadrilobum.

Capsulae glabrae. *Semina* solitaria.

K

Tab.

Tab. II. D. *BORONIA polygalifolia*.

- Fig. 1. Calyx atque bractee.
 2. Petalum.
 3. Stamen auctum.
 4. Germen cum stylo auctum.
 5. Capsulae naturali magnitudine.
 6. Capsula singularis.
 7. Arillus, et semen.

In definiendis generibus hujus ordinis structura staminum, ac infertio styli semper maximi erunt momenti. Numerus non plane spernendus; ratio saltem ad petalorum aut divisionum corollae numerum aequalis aut dupla firmior est character. *Boronia* ab omnibus ejus ordinis distincta est antheris pedicellatis filamento lateraliter infertis: quanquam enim in ultima specie filamenta ultra insertionem quam minime extolluntur, attamen infertio lateralis manet. Aliud revera est genus, quod *Eriostemon* dixi, in quo antherae quoque pedicellatae sunt, sed apice filamenti, tunc non appendiculati, insident. Stylus *Boroniae* abbreviatus continuat apicem capsularum coalitarum: in *Eriostemone* stylus e centro intra bases capsularum nascitur, elongatur fructificationis opere peracto, quae nota gravior. *Boronia* semper tetrapetala, octandra, et oppositifolia, in ultima specie subinde alterna. *Eriostemon* plerumque pentapetala, decaestemon, et foliis est alternis: ad illud *Diosma uniflora* L. pertinere puto, nam caret characteribus propriis *Diosmae*, nisi quod quinque stamina ejus abortiva, quandam similitudinem habent cum quinque squamulis, quae in *Diosma* staminibus adsunt: at abest corona seu annulus glandulosus germen cingens, et structura partium, habitu atque inflorescentia cum *Eriostemone* congruit.

Genus hoc, nunc primum descriptum, inserviat ad servandam memoriam martyris Botanicae, cujus ardor indefatigatus, ac summum acumen, si fata superstitem siviissent, hunc honorem propriis laboribus meruerint. Franciscus *Borone* Mediolani natus est d. 6. Aprilis 1769. Animo acri, et scientiae cupiditate juvenis adhuc e patria actus, auctoritate et exemplo Viri veneratissimi ad Historiae naturalis amorem perductus est. Solertiam sagacitatemque in discriminandis plantis non solum habitu, sed etiam characteribus scientificis, paucissimi superavere. Ardor aequalis erat ingenio. Difficultatibus insuperabilibus in Sierra Leona cum Afzelo superatis, Sibthorpium, nunc quoque defunctum, in Graeciam secutus est. Summum patrocinium eum in patria expectabat, sed ille merendi quam obtinendi studiosior erat. Nunquam enim spem sefellit in voluntate aut intelligentia ejus positam. Demum summae Providentiae sapientia eum cito avocavit; casu fortuito ex fenestra delapsus Athenis mortuus est d. 20. Octobris 1794. Vixit annos 25. menses. 6.

A

© Biodiversity Heritage Library, http://www.biodiversitylibrary.org/; www.zobodat.at



Sprengelia incarnata.



B

Tab. II.



Wstringia rosmariniformis.

A

*Boronia pinnata.*

B

*Boronia serrulata.*

C

*Boronia parviflora.*

D

*Boronia polygalifolia.*

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1801

Band/Volume: [2](#)

Autor(en)/Author(s):

Artikel/Article: [Defcriptio novi Plantarum generis 65-74](#)